HYMNUS

De

Vita, passione & morte Dominica
Compositus
Ad debitum honorem Passionis &
Mortis
DOMINI NOSTRI IESV Christi
â
Francisco Vdalrico Peijer
I. V. D.
gratitudinis ergò

Typis impressus Academicis
Vilnæ
In M. D Lituaniæ
Anno Domini
M DCL XXXIX.

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO D: CONSTANTINO CASIMIRO BRZOSTOWSKI DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Vilnensi: Domino, Mecænati & Patrono amplissimo

DAbis Veniam, quòd Celsissimo Tuo Hymnus iste Nomini inscribitur ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRÆSVL. Nobilissima enim Domus BRZOSTOWSCIANA quemadmodum Semper extitit & est piissima Passionis Dominicæ Cultrix; ita TV eiusdem Domus Sol Illustrissimus, SOLEM IVSTITIÆ in Cruce eclipsim passum contrito semper corde intueris uigilantissima tua Pastorali solicitudine, Religionis & pietatis Zelo, intaminatâ Vitâ- & quotidianis Virtutum exemplis veneraris; adeò

adeò ut plena Spes affulgeat, fore, ut TE Promotore Hymnus iste in pijs Christi fidelium mentibus uberes contritionis affectus excitet & TV merita, quæ copiosa Habès in Domino, multiplicet. Ita animitus vouet.

ILLVSTRISSIMÆ EXCELLENTISSIMÆ
& REVERENDISSIMÆ TVÆ CELSITVDINIS.

Infimus Cliens & Seruus.
Franciscus Vdalricus Peyer I.V.D.
Not. Cons. Viln:

AD videndum & ſtupendum
Totus orbis propera,
Mirum tale, per tot quale
Nunquam fuit tempora!
Ipſe DEVS tanquam Reus,
Humanorum ſcelerum
Coelum ſinit, mundum init
Vndequaq; miſerum!
Non in auro, non cum lauro
Nec cum famulitio,
Non in throno, ſed cum prono
Corde, & propitio.
Tantum Regem, quis non legem
Statuturum crederet?
Quæ ligatos mundi natos
Sub poenis adigeret?
Regi aula & non caula
Præſtet diuerſorium?
Non iam foenum, ſed amænum
Sit reclinatorium?
Sed non ita in hac vita
Vult tractari molliter:
Vultis ſcire, inuenire
Chriſtum natum nouiter?

En

En hic iacet Infans! placet
Ipſi uile ſtabulum,
Vbi Oues, Equi, boues
Suum ſumunt pabulum.
Neonatus eſt ſtipatus
A boue & aſino,
Denudatus, ſpoliatus
Omnium ſuffragio
Sola Mater atq́; Pater
Aſſiſtit Nutricius,
Dum in foeno inamæno
Ieſus flet propitius.
O miranda, commendanda
Toti orbi charitas!
A qua tota eſt commota
Regis Regum bonitas:
In profundum, ad hunc mundum
Desuper deſcendere,
Ob peccatum iam damnatum
Hominem redimere.
Homo tamen uelut flamen
Ventorum hoc ponderat,
Et peccatis iteratis
Deum quaſi verberat.

En Paſtores! qui labores
Agrorum abijciunt,
Chriſtum quærunt, dona ferunt;
Infanti ſubijciunt.
En tres Magos, vrbes, pagos,
Per mille diſcedere!
Sine mora, quando hora
Monſtratur à ſidere,
A Cometa, non Planeta
Ferali, & noxio;
Sed ſalutis, & virtutis
Reſtitutæ nuncio.
Non curantes, aſpernantes
Viarum incommoda,
Cruditates, tempeſtates,
Et mala omnimoda
Peramæni, fide pleni
Ad præſepe properant,
Chriſto nato dono dato
Applaudunt, ſacrificant.
Tu ô Homo, qui in pomo
Offendiſti Dominum,
Huic Infanti digno tanti,
Offer cor & animum.

Vis

Vis ne plura ſcire dura,
Paruulus quæ ſuſtulit?
Ad implendam, mox tollendam
Legem Amor impulit.
Certè fleres, ſi videres
Circumcidi; Paruulum:
En rubentem innocentem
In cruore Ieſulum!
Quò plùs creuit, adoleuit
Annis, Sapientiâ
Plus vexatur, tormentatur
Propter noſtra vitia.
Illetamen nec grauamen
Mundo ullum reddidit,
Sed ſincerè, nimis verè
Bona cunctis præſtitit.
Vix annorum tranſactorum
Numerat duodecem,
Illuſtrare, informare
Iam conatur hominem:
In Doctorum Profeſſorum
Reperitur medio,
Vanitatis, falſitatis
In conſeſſu impio:

In hoc cætu absq; metu
Verbum Patris prædicans,
Singulorum peruersorum
Falsum dogma increpans.
Quid non fecit, dum defecit
Vinum inter nuptias?
Mater pia en Maria
Pro Patrefamilias
Instat! Iubet Christo: iubet
Aquam ferre famulos,
Quam mutabat, recreabat
Vino facto singulos.
Nondum satis Bonitatis
Summæ, fecit dextera:
Rariora absq; mora
Mira cernes opera.
Scande montem! ibi fontem
Videbis Clementiæ,
Prædicantem, simul dantem
Christum indigentiæ:
Nam dum finit, non sic sinit
Abire plebeculam,
Ni cibaret, saturaret
Lassam & famelicam:

Mirum

Mirum ſane! pauco pane,
Et duobus piſcibus,
Cibum fecit, qui ſuffecit
Plenè quinq; millibus:
His cibatis, ſaturatis
Leguntur particulæ,
Quæ reſtabant: ſatis dabant
Maiori Plebeculæ.
Nunc deſcende, iter tende
Ad Vrbem, vel aliò;
Nuſquam latet, verum patet
Vbiq; dilectio.
Claudos ire, & audire
Surdoſ paſſim fecerat:
Cæci vident, ægri rident,
Quos Chriſtus ſanauerat.
Nati muti reſtituti
Diffundunt eloquium:
Morti dati, iam humati
Vadunt extra tumulum.
Quot oppreſſi, vexâ feſſi
Maledicti Dæmonis
Liberantur, & ſanantur
Curâ huius Numinis.

En

En Divinam ad piſcinam
Planè Vigilantiam!
Vbi nouem per hunc Iouem,
Et eius clementiam,
Liberati & curati
Sunt â morbo ſordido:
Sic adiuti, & exuti
Malo Lepræ fætido.
Sed ingrati terræ nati
Neq; reddunt gratias;
Solùm unus Chriſti munus
Laudat, pſallit glorias.
Magdalenam ſorde plenam
Dignatur ſuſcipere,
Dum amarè deplorare
Statuit pro ſcelere:
Se proſtrauit humi, lauit
Pedes Chriſti lachrymis,
Eos tergens, & abſtergens
Crinibus humillimis.
Ad Zachæum multùm reum
Et culpis obnoxium,
Decantatum, publicatum
Turpem Vſurarium

Se

Se conuertit, & diuertit
In eius hospitiuo,
Cibos sumens, & assumens
Illum pro consortio:
Ex indigno, & maligno
Faciens Discipulum,
Ex auaro (quod fit raro)
Efformans Apostolum.
Veterano Publicano
Impertitur gratiam,
Dum cor tangit, dolens plangit,
Agit poenitentiam.
Multum digna sunt hæc signa
Bonitatis Domini,
Sed maiora, digniora
Adhuc dedit homini:
Quibus dari, nec optari
potest pretiosius,
Nec Diuini Inquilini.
Habent sumptuosius.
Magna Coena an non Scena
Est Omnipotentiæ?
An non tota meræ nota
Est beneuolentiæ?
O Peccator! en Saluator

Inse-

Inſeruit diſcipulis!
En Seruorum indignorum
Pedes lauat humilis!
Nondum ſatis: ſuum gratis
Corpus dat & ſanguinem;
Seraphinam an Diuinam
Propinat dulcedinem?
Ecce Agnum! ô quam magnum
Teſtamentum edidit!
Quam laudandum, admirandum
Sacramentum condidit!
Hoc parauit, propinauit
Medicinam Animæ,
Quâ peccata ſæpe nata
Delentur in homine:
Quâ extincta probris cincta
Virtus viua redditur,
Quâ amiſſa ob commiſſa
Salus reſtituitur.
Quid lucratus per hæc Natus
DEI Vnigenitus?
Fortè bona, rara dona
Accepit emeritus?
ô nefanda, execranda
Du-

Dura gens Iudaica!
Sic ne penſas, & compenſas
Dona Chriſti coelica?
Quo motiuo compulſiuo
Vis necare Dominum?
Qui ſaluauit, te ſeruauit
Ante mortis terminum.
Ipſam lucem cur ad crucem
Condemnari clamitas?
Quæ inflexit & direxit,
Tuas iuſtè ſemitas?
An non diram DEI iram,
Expaueſcis coelitus?
Profli&turam, euerſuram
Totam gentem funditus?
Sed non audit, aures claudit
Obſtinata natio:
Cui nec ulla fides, nulla
Pietas, religio.
Chriſtus orat, triſtis plorat
In monte triſtitiæ:
(Oliuetus verè fletûs
Mons eſt non lætitiæ)
Quieſcebant, dormiebant

Inte-

Interim discipuli;
Nam turbati, & grauati
Horum erant oculi.
In sudore, & cruore
Offert Patri Calicem,
Sanctitatis, libertatis
Humanæq; Vindicem.
Indefessus, iam obsessus
A damnato Astheroth
Ecce Iudas! turbas crudas
Adducit Iscarioth:
Cum catenis, & millenis
Gladijs, ac funibus,
Cum clamore, & horrore,
Lanceis & fustibus.
Studiosè sed dolosè
Simulat se Traditor,
Quasi Verus & sincerus
Amicus non Proditor,
Huc ueniret, & nesciret
Quæ turbæ intentio!
(O quam crudè Iustus Iudæ
Traditur mendacio)
En malignum, nequam signum
Dat

Dat Lictorum cumulo!
Rabbi aue: (Rabbi caue!)
Christum tradit osculo.
Turba statim, & punctatim
Signo dato properat,
Iesum ligat, & fatigat,
Trahit, rapit, verberat.
Derelictus est afflictus
Quoq; à discipulis,
Propter coetum, propter metum
Iudæorum tremulis:
Petrus solùm Iudæ dolum,
Vindicat mendacium,
Ense tracto Malcho tacto
Infert auricidium.
Non exemit, nec redemit
Per hoc tamen Dominum,
Sed Tyranni inhumani
Rapiunt Sanctissimum:
Fatigatum, Verberatum
Adducunt ad Iudicem,
Lassum totum, Sacerdotum
Ad Caipham tunc principem.
Conuenerunt, assederunt
Senio-

Seniores populi,
Strideut dentes aſſiſtentes
Scelerato Præſuli,
Contra Ieſum iam pertæſum
Cum Caipha diſcurrere,
Ad iniquum inimicum
Multa verba promere:
Inde quærunt, inuenerunt
Falſa teſtimonia,
Vinceretur, damnaretur
Quibus innocentia.
Ecce adſunt duo! dicunt,
Falſò iurant deſuper,
Se audîſſe, adfuiſſe,
Quando iſte furcifer
(Sic honorant & adorant
DEI Vnigenitum,
Sanctæ Matris, ſummi Patris
Sempiterni Filium)
Se iactabat, uenditabat
Statim poſſe frangere
Templum DEI tantæ rei,
Triduo reficere.
Chriſtus tacet, quia placet

Ipſi

Ipſi mors duriſſima,
Vtdeleret, aboleret
Citò noſtra crimina.
Caiphas pergit ultrà, vergit
Ad ſummam audaciam:
Noua fingit, Chriſtum ſtringit
Per DEI potentiam.
Vt faretur, fateretur,
Si eſt DEI Filius,
Increatus, Coelo datus,
Omnis culpæ neſcius?
Chriſtus breui dicto leui
Adiurantem expedit:
Tu dixiſti: tetigiſti,
Quin ſim, nil me impedit:
Sed uidebis· & ſtupebis
Hominis hinc Filium
Iam præſentem, aſſidentem
Dextræ DEI proximum.
Vix finiuit: clamor iuit
Per totum iudicium
Ad cohortem, Chriſto mortem
Inferant ſupplicium.
Non egemus, non habemus

Opus

Opus testimonijs
Blasphemauit, se damnauit
Suis Verbis proprijs.
Hinc feraces & rapaces
Lupi suam rabiem
Plus diffundunt, Christum tundunt,
Expuunt in faciem.
Sic contusus, & illusus
Pilato extraditur;
Quasi purè victus iure
Reus mortis sistitur.
Stat modestus, nec infestus
Tot vexis tyrannicis,
Nil detrectat, sed expectat
Voluntatem Iudicis.
Contemplatur, & miratur
Pilatus modestiam;
Liberâsset & saluâsset
Vix non innocentiam:
Christum blandè, non infandè
Vt Caiphas alloquitur,
An sit certum & compertum
Quod de illo dicitur,
Quod sit natus Coronatus
Iudæ-

Iudæorum proprius?
Vitam ſpondet: hic reſpondet,
Tu dicis- nil amplius.
Non offenſus, ſed propenſus
Præſes tamen, manſerat,
Multos modos, atq́; nodos
Speculatus fuerat,
Quêis ualeret & deberet
Mitigare populum,
Ne uindictæ maledictæ
Daret Innocentulum.
Iubet uinctum ferro cinctum
Barrabbam adducere,
Hunc Latronem, & Prædonem
Manifeſtum ſiſtere:
Iuxta morem ad honorem
Feſti linquens populo
Ius petendi, eximendi
Vnum á patibulo:
Certò ratus tunc Pilatus
Quod Chriſtum expeterent,
Illum verò poenis, ferro,
Et morti ſubijcerent.
O Pilate quám beatè

Cæpiſti

Cæpisti exordium!
Ita dura, ita cura
Finire iudicium!
Sed quám citò vix audito
Clamore Iudaico
Perturbaris, suffragaris
Furori Hebraico?
Crucifige, crucifige,
Tolle, tolle clamitant,
Hoc clamore & furore
Te Pilate territant?
Vxor agit, & præsagit
Mala tibi omina,
Si cum isto iusto Christo
Procedes ad tormina:
Sed non mouit: plus commouit
clamor scholæ barbaræ,
Quo minantur imprecantur
Mulctandum à Cæsare,
Si dimittes, non permittes
Christum cruci figere,
Dura sorte turpi morte
Ex hoc mundo tollere:
Expauescis, aquiescis

Statim

Statim fers ſententiam,
Lauas manus, ut inſanus
Damnas innocentiam.
Sic Beatum condemnatum
Rapiunt Carnifices,
Abs pudore abs rubore
Cruenti opifices.
Alligatur, flagellatur,
(Mirandum in homine)
Vt non ſtaret, ſed nataret
Proprio in ſanguine.
Non centenos, ſed millenos
Ictus ſupportauerat,
Præter linguam (nihil fingam)
Sanum non extiterat.
O rebelles, perduelles
Regi veſtro ſubditi!
Leopardi, & baſtardi
Naturæ ô ſordidi!
Sic ne crudi ſupra nudi
Chriſti dorſum fabricam
Collocâſtis, prolongâſtis
Et veſtram nequitiam?
Non timetis, non horretis

Pulſare

Pulſare Sanctiſſimum?
Laniare, lacerare
Pulchrum, & tenerrimum?
Vltra Chriſte! modus iſte
Tractandi non ſufficit,
Plus ſudoris, da cruoris
Te Corona proſpicit.
Spinas plectunt, & inflectunt
Ad unius digiti,
Apponuntur, imprimuntur
Venerando, capiti:
Omnes venæ huius poenæ
Stringuntur tyrannide,
En monſtratur, præſentatur
Populo cum chlamyde!
Eheu dolor! qualis color
Vultum Chriſti purpurat?
Rubet quidem, ſed iam pridem
Signum mortis fulgurat,
Breui actum tecum factum
Eritq; ſupplicium,
Iam iam trucem ferunt Crucem,
Quæ mortis indicium:
Hanc portare, baiulare
Debes ad Caluariam,

Vbi

Vbi demum & postremum
Concludes miseriam.
Flagellatus, Coronatus
Ad Crucem proijcitur,
Duris clauis, vel si mauis
Vt latro affigitur.
Eleuatur, exaltatur
Christus DEI filius,
Nebulones & latrones
Inter duos medius.
Ita pendens, & extendens
Manus Patrem supplicat,
Ne profanos, & insanos
Peccatores feriat.
Vt monstraret, se probaret
Fidelem ad ultimum,
Acceptauit, & Salvauit
Latronem nequissimum.
Nonâ horâ (homo plora!)
In Cruce uociferat:
Consummatum est: beatum
Spiritum emiserat.
Vix extincto in procincto
Miles latus perforat,
Vnde tantum aquæ, quantum

Sangu-

Sánguinis èffluxerat.
Adimpletæ sunt Prophetæ
Voces, de Te Domine,
Attriuisti, inanîsti
Te totum pro homine.
Obſcurantur, denigrantur
Luna Sol & omnia
Elementa non contenta
Quæq; lugent tristia.
Surgunt multi iam ſepulti,
Velum Templi ſcinditur,
Bruta fremunt, montes tremunt,
Terra motum patitur.
Sic mònstratur & probatur
Verus DEI Filius
Pro Peccatis perpetratis
Ligno Crucis mortuus.
Ieſu bone ſemper prone
Tuam dandi gratiam,
Me exaudi tuæ laudi
Accinentem animam!
Recordare quám amarè
Redemisti hominem,
Fac uidere ſustinere
Te benignum Iudicem.
Vt Tu mecum, ego tecum
Valeam fac viuere,
Te laudare, adorare
In æternum proſperè.
Amen.